

DISPUTATIO II.

DE PRINCIPIIS DIRECTIVIS.

CAPUT I.

DE ECCLESIA CHRISTI.

Ordini alius oporteret, nec questionem ad unam Christi Ecclesiam constringere, si ad religionem universim omnemque ejus diversitatem excurrere liberet. Ne autem amplissima illa spatia hic perlustranda sint, faciunt dogmata de unitate Dei, adventu Messiae, et Christi divinitate, aliis in tractatibus stabilita, quibus Atheorum insania, Polytheorum superstitionis, Judaeorum pertinacia, et Mahometanorum aliorumque Christimachorum vanitas exponitur et expugnatur. His velut jam certis suppositis et demonstrandis, sequitur veram Ecclesiam esse Ecclesiam Christi: ut adeo de hoc asserendo laborandum nunc minime sit; sed de hujus dumtaxat Ecclesiae notione, membris, notis, ac proprietatibus disquirendum, et cuinam e caetibus, qui se Christianos dicunt ac Christum profiterentur, nomen et axioma ejusdem vere jureque tribuendum; ut inde auctoritas principii directivi seu viva regulae fidei et vindicari Ecclesiae, et determinato subjecto adscribi possit: quod omne praesentis capitis erit argumentum.

ARTICULUS I.

Quenam sit notio Ecclesiae Christi.

79. Nota. Ecclesia non minus ac Synagoga voces graecae sunt, quarum illa evocationem, ista congregationem latine sonant, significatione activa sensum passivum faciente. Utraque usurpatur vel tropice pro loco, ubi ejusmodi evocatio vel congregatio sit, ut accipitur 1. ad Cor. 11. v. 18. *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio esse scissuras*, et Luc. 7. v. 5. *Synagogam ipse aedificavit nobis*; vel proprie pro coetu ac multitudine evocatorum aut congregatorum. Ecclesia proprie usurpata accipitur vel in bonam partem, ut Psal. 149. v. 1. *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum*; vel in malam, ut Psal. 25. v. 5. *Odivi Ecclesiam malignantium*; vel indifferenter, ut Psal. 106. v. 32. *Exallent eum in Ecclesia plebis*.

Ecclesia in bonam partem accepta sumitur vel late pro coetu colentium Deum; et sic complectitur Ecclesiam tum triumphantem seu beatos, etiam

angelos in cœlis, tum patientem seu animas in purgatorio, tum militantem seu viatores homines in terris: vel stricte pro cœtu fidelium; quæ denominatio proprie convenit viatoribus seu Ecclesiæ militanti. Ecclesia stricte sumpta accipitur vel communius pro cœtu credentium præcise Deum; unde et Ecclesia Dei dicitur, continetque fideles in omni statu, Naturæ scilicet, Legis et Gratia; vel singulariter et antonomastice pro cœtu credentium explicite Christum; unde Ecclesia Christi vocatur, et complectitur præcise Christianos vel saltem baptizatos. Posterior etiam simpliciter dicitur Ecclesia, cum prior appelletur Synagoga, captato ex etymologia discrimine; quia juxta S. AUGUSTINI commentarium in epistolam ad Romanos, Judæi, quod carnales essent, pecorum more congregari dicebantur; Christiani vero, quod spirituales sint, more creaturarum ratione præditarum, evocari debeant.

Porro cum Ecclesia hæc simpliciter dicta et antonomastice talis juxta S. AUG. in Breviculo Collationis, Coll. 3. habeat se instar totius constantis ex anima et corpore, atque hinc vel inadæquate secundum alterutram, vel adæquate secundum utramque partem spectari possit; Ecclesiæ notionem diversis hujusmodi considerationibus respondentem asseremus, subjecturi postea positiones aliquot, quibus hodierni quorundam errores circa naturam Ecclesiæ secundum corpus consideratæ breviter et velut transeundo profligantur.

80. *Dico I.* Ecclesia Christi inadæquate secundum animam considerata est cœtus vocatorum ad Christi fidem, supernaturalibus dotibus cum Christo conjunctus. *Prob.* Ecclesia in hac consideratione spectatur secundum internam conjunctionem membrorum cum capite per media et vincula proportionata: sed vocati ad fidem sunt membra Ecclesiæ, ex ep. ad Ephes. c. 4. v. 22. *Et ipsum, Christum, dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus, et c. 5. v. 23. Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ;* aliisque locis: supernaturales dotes, hoc est, Fides, Spes et Charitas cum reliquis virtutibus et Spiritus sancti donis sunt vincula et media proportionata hujus conjunctionis, ut ex eorum natura et officio patet: ergo.

81. *Dico II.* Ecclesia Christi inadæquate secundum corpus considerata est cœtus baptizatorum, ejusdem fidei christianæ professione et eorumdem sacramentorum communione, sub uno Christi in terris vicario adunatus. *Prob.* Ecclesia in hac consideratione spectatur secundum externam conjunctionem membrorum Ecclesiæ visibilis cum capite per media itidem sensibilia et proportionata: sed soli baptizati juxta Florentinum et Tridentinum Sess. 14. c. 2. sunt membra hujus Ecclesiæ: Christus statuit in terris sui vicarium, eumque voluit Ecclesiæ caput esse, cum dixit Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* et Joan. 21. v. 15. et seqq. *Jesus dicit Petro: pasce agnos meos, pasce oves meas;* quod infra uberius de unitate Ecclesiæ et Summo Pontifice ostendetur: media autem tum sensibilia tum proportionata habentur ad hunc finem in professione fidei, sacramentorum participatione, cultuque ac subjectione uniformi: ergo.

82. *Dico III.* Ecclesia Christi adæquate sumpta est cœtus fidelium baptizatorum, quos interius quidem animat fides, spes et charitas, exterius autem

fidei ejusdem Christianæ professio et eorumdem sacramentorum communio adunat sub uno capite Christo in cœlis, et ejus in terris vicario, Summo nempe Pontifice. Sequitur hæc thesis et descriptio ex duabus considerationibus prioribus in unam collectis; quod additur de Pontifice, sequitur itidem ex præmissis; quia Vicarius Christi in terris constitutus, et quidem unicuique ad unitatem Ecclesiæ servandam admittendus, alius præter Pontificem Summum designari nequit. Sed de hoc infra uberius.

83. *Dico IV.* Ecclesia Christi est cœtus auctore Christo institutus; non autem vel mutuo fidelium consensu coalitus, vel humana potestate politica coordinatus. *Prob.* Ex Litteris, quas Christiani sacras agnoscunt, et ex profanis æque ac Ecclesiasticis scriptis cœvis, et ætatum ex ordine sequentium, conspirantibus certum est 1. ante secula 17 vixisse in Judæa JESUM compellatum Christum: 2. Eundem promulgata religionis novæ doctrina adscivisse sibi discipulos, et habuisse sectatores: 3. Eosdem tum ante tum post Christi mortem persuasisse pluribus eandem doctrinam a se divulgatam: 4. in ejusdem tum prædicatione tum receptione doctrinæ illis successisse alios ad nostra usque tempora et per universum terrarum orbem. Atqui hæc multitudo tum prædicantium tum recipientium illam doctrinam est imprimis Ecclesia Christi, saltem secundum corpus spectata, ut ex conditionibus ad hanc requisitis et in illa patentibus dignoscitur; deinde Christum habet auctorem ducem et institutorem ut ex præmissis apertum est: ergo Ecclesia Christi est cœtus auctore Christo institutus.

Conf. Iste cœtus neque mutuo fidelium consensu aut politica hominum ordinatione revera coaluit, neque coalescere potuit. Non *primum*; quia religionem Christi et doctrinam nec fideles proprio ingenio excogitarunt, aut suo nomine promulgarunt, aut temere vel tanquam a se inventam acceptarunt; nec magistratus quispiam humano-politicus ordinavit; cum judæus et gentilis institutioni omni ex parte obstiterit, christianus autem postea huic cœtui conjunctus institutionem factam et ordinatam jam invenerit. Non *secundum*; quia Ecclesia et religio Christi, quoad fidem credendorum, cognitionem et captum, quoad obligationem maxime internam agendorum, potestatem et imperium, quoad efficaciam mediolorum, vires et energiam hominum penitus excedit.

84. *Dico V.* Ecclesia Christi ex institutione sua est cœtus hierarchicus; non vero collegium æqualium. *Prob.* Ecclesia Christi ab et ex institutione sua continet in se majores et minores, Matth. 22. v. 26. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator;* præpositos et subditos, ep. ad Hebr. 13. v. 17. *Obedite Præpositis vestris et subjacete eis;* præcipientes et obsequentes, Act. 13. v. 28. *Pertransiens civitates præciperat eis custodire præcepta Apostolorum et Seniorum;* rectores et regendos, Act. 20. v. 28. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* Item docentes et discentes, Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis;* judices et judicandos, Joan. 20. v. 23. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt;* ministros, dispensatores, mediatores, legatos, cum aliis quorum causa hæc officia exhiben-

tur, 1. ad Cor. 4. v. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, et 2. ad Cor. 5. v. 18. et seqq. Dedit nobis ministerium reconciliationis: pro Christo ergo legatione fungimur. Ergo.

Conf. Ecclesia Christi comparatur in Scriptura regno, civitati, domui, familiae, ovili et corpori, ibidemque maxime 1. ad Cor. 12. diversis diversa officia et potestates assignantur: ergo ad horum similitudinem Ecclesia Christi est cœtus hierarchicus, seu certis superiorum et inferiorum gradibus distinctus; non autem æqualium collegium.

85. Dico VI. Ecclesia Christi est cœtus legibus propriis, non conventionalibus solum, constitutus. Prob. Leges propriæ et non conventionales sunt, quæ promanant a superiore, sanciantur sine interventu et rogatione populi, necessitatem obedienti imponunt, non relinquunt intercedendi aut omitendi libertatem: ejusmodi leges sunt, quibus constituta est Ecclesia Christi. Nam Christus imprimis legitimus est Ecclesiæ superior, ut per se patet; et Episcopi veram superiorum potestatem a Christo acceperunt, ut ex num. 84. et Tr. de Legibus manifestum est: nullam dein rogationem populi intervenisse sive in legibus institutionis Christi, sive in præceptis et ordinationibus tum Apostolorum tum successorum ipsis datorum circa reliquam Ecclesiæ constitutionem, liquet tam ex sacris litteris, quam ex historia Ecclesiastica: denique necessitatem obediendi inductam, libertatem intercedendi ademptam probat auctoritas non tantum Christi, sed etiam Ecclesiastici magistratus præceptiva et coactiva in Tr. de LL. asserta et vindicata: ergo.

Conf. Leges conventionales locum duntaxat habent in cœtu mutuo paciscentium consensu coalito, aut collegio æqualium: sed Ecclesia Dei nec ejusmodi cœtus est, nec collegium, ex thesibus proxime superioribus: ergo.

86. Observa. Ecclesia hactenus descripta dicitur *particularis*, si sumatur pro certo et determinato cœtu hujusmodi restricto vel intra domum aliquam aut familiam, ut fit in ep. ad Rom. 16. v. 3. et 5., vel in una civitate ac diœcesi, ut fit 1. ad Cor. 1. v. 1. et 2., vel in integra provincia, natione aut regno, ut fit ad Tit. 1. v. 5.; indeque Ecclesia domestica, diœcesana, metropolitana, provincialis, nationalis, orientalis vel occidentalis appellatur. *Universalis* dicitur, si pro tota christianorum gente quaquaversum diffusa ac distributa capitur. Utrique Ecclesiæ data notio convenit, quantumvis particulares Ecclesiæ proprios pastores habeant; cum et hi sub uno capite Christo in cœlis et ejus in terris vicario adunentur.

Sumitur autem *Ecclesia universalis* vel substantialiter et complete pro omnibus nempe partibus, tam subditis quam præpositis, tam discente quam docente Ecclesia; vel formaliter et repræsentative pro parte docente et Episcopis, maxime in concilio œcumenico confluentibus, vel denique materialiter et subjective pro parte discente et plebe fidelium; quarum acceptionum prima et forte ultima ad præsens caput, media autem ad bina sequentia pertinet.

ARTICULUS II.

Quinam sint de vera Christi Ecclesia.

87. Nota. Ecclesiam non tantum adæquate sumptam sed et inadæquate acceptam secundum corpus, simpliciter dici veram Christi Ecclesiam, patet tum ex parabolis, sub quibus scriptura Matth. c. 3. v. 12. c. 13. v. 47. c. 22. v. 2. c. 23. v. 1. et alibi Ecclesiam exhibet; tum ex hominum diversitate, qua Cypr. L. 3., ep. 3. Aug. in Brevic. Coll. 3. c. 9., Naz. in Or. 1. apol., Chrys. in Ps. 39. v. 13., Hier. in Dial. cont. Lucif. ult. med., Fulg. L. de Fid. c. 43., Greg. hom. 11. et 38. in Evang. aliique constare docent Ecclesiam; necnon ex vulgari loquendi modo juxta quem de rebus loqui secundum externa, et subditos, milites, ministros, Reges et Catholicum et Christianissimum dicere solemus, qui se tales exterius profitentur. De hac Christi Ecclesia simpliciter dicta quæstio præsens versatur, facile quidem decidenda, si ad descriptionem (num. 82.) datam, et ad singula ejus prædicata attendatur: cum ratione primi, non baptizati licet aliena religione carentes; ratione secundi, præter Judæos, Turcas et Paganos, Apostatæ ac Hæretici; ratione tertii, Cathecumeni et Excommunicati; ratione quarti, Schismatici ab Ecclesia excludantur: reliqui vero, quantumvis reprobi aut impii, modo nulla horum conditione destituti, includantur.

Difficultatem tamen nonnullam movet duplex Ecclesiæ systema ab hæreticis posteriorum temporum recens adoptatum aut inventum. Alterum coarctat Ecclesiam aut ad solos prædestinatos; cujus auctor fuit Wicleffus secundum propositiones in Conc. Constantiensi Sess. 15. damnatas, sectator vero CALVINUS juxta suæ de justificatione doctrinæ sequelam, et Quesnellus in prop. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. per Bullam *Unigenitus* damnatis: aut ad solos perfectos; ut apud Aug. L. de Hæres. c. 88. docuerunt Pelagiani, et nuper Anabaptistæ: aut ad solos justos, vel ab infidelitatis saltem crimine immunes; quod voluerunt Novatiani apud Cypr. L. 4. ep. 2., Cathari apud Epiph. L. de Hæres., Donatistæ apud Aug. L. 3. cont. Parmen. c. 2. itemque Lutherani in Conf. August. Art. 7. et apud Lutherum L. de Conc. et Ecclesia. Alterum colligit ad Ecclesiam omnes etiam sectas hæreticorum et schismaticorum, modo illi fundamentales, ut vocant, Christianæ Religionis articulos credant. Hujus artifex priori seculo fuit PETRUS JURIEU, famosus apud Calvinistas præco, in libro, verum Ecclesiæ systema, inscripto; illudque nunc Calvinii sectatores plures, ad Ecclesiam suam a gravissimis oppositionibus vindicandam, amplectuntur.

88. Dico I. De Ecclesia nec sunt soli prædestinati, sed et reprobi; nec soli perfecti, sed et imperfecti: nec soli justis, sed et peccatores.

Prob. 1^a p. Ecclesia Matth. II. cc. comparatur aræ triticum et paleam habenti, sagenæ pisces bonos et malos complectenti, convivio hospites ornatos et veste nuptiali destitutos excipienti, decadi virginum tot fatuas quot prudentes numeranti; in ep. 2. ad Tim. 2. domui vasa aurea, lignea et lutea, honorifica item et turpia continentis: Eisdem parabolis etiam de reprobis una cum prædestinatis in Ecclesia comprehensis Cypr. L. 3. ep. 3. et L. 4.